



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

I. Romani pontifices interdum, ut caris suis gratificarentur, occasionemque darent opum brevi compendio parandarum, legatione illos sua ornabant. Probatur ex Ivone Carnotensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

VIII. Misit idem Gregorius in Angliam Legatum Ottonem Diaconum Cardinalem Tituli sancti Nicolai in carcere Tulliano anno millesimo ducentesimo trigesimo septimo. Cùm verò is multa insolenter ageret & Anglorum animos fiducia legationis exulcerasset, Gregorius, qui jam tum intelligebat quantum invidia Romanæ sedis ex his pessimis Legati facinoribus creabatur, facti pœnitens, eum revocavit. Narrat ista Matthæus Parisius his verbis: *Eodem tempore Dominus Papa & tota Curia Romana audiens tot tumultus in Anglia fuisse subortos pro alienigenarum multitudine quam Rex inconsultè vocaverat, & pro adventu Legati in Angliam, quem similiter in depauperationem suorum in Angliam attraxerat, multòsque contra ipsum commoveri, sub magna eundem Legatum festinatione revocando, rigorem ejus temperavit.*

Math. Paris. pag. 405. edit. Tigur.

CAPVT LIV.

Synopsis.

I. Romani pontifices interdum, ut caris suis gratificarentur, occasionemque darent opum brevi compendio parandarum, legatione illos sua ornabant. Probat ex Ivone Carnotensi.

II. Probat etiam ex epistola Leodiensium adversus Paschalem II. qui scribunt Legatos à latere Romani Pontificis exeuntes ad ditanda marsupia discurrere.

III. Apertius adversus corruptelam illam declamat sanctus Bernardus, qui salutem populi Legatis viluisse scribit pro auro Hispania. Adnotat Baronius ista scripta esse à sancto Bernardo adversus frequentiam legationum.

IV. Si quid mali suspicari liceret de moribus Innocentij III. prosum esset affirmare non ob aliud eum misisse in Angliam Joannem Ferentinum quam ut ei daret occasionem discendi. Quippe is Angliam perlustravit tantum, ac statim abiit cum magna pecunia summa quam vi & auctoritate legationis corrogaverat.

V. Conradus Episcopus Portuensis in Galliam missus ab Honorio III. necesse habuit pignori in sumptus legationis tradere ornamenta sua. Verùm spes erat illum ex legatione reportaturum unde solvendo esset illis quibus oppignerata res erant.

VI. Nebulo quidam Legatum apostolica sedis agens in Dania ad divitias ex scelere atque emenita dignitate comparandas, in carcerem conjicitur ab Archiepiscopo Lundeni.

I. **A**PERTA semel janua divitiarum comparandarum per legationes, Romani Pontifices, ut caris suis gratificarentur, legatione illos sua ornabant, sicque instructos ad provincias mittebant opulentas & ad obsequium inclinatas. Quo fiebat ut qui pauperes & inopes accedebant ad provincias, repente divites facti, eas statim deponerent; adeo ut non ob aliud venisse viderentur, ut innuit Ivo Carnotensis, quam ut provinciam raptarent sub umbra legationis.

Hæc sunt ejus verba ad Paschalem secundum Summum Pontificem: *Cùm enim à latere vestro mittitis ad nos Cardinales vestros tanquam filios uterinos, quia in transitu apud nos sunt, non tantum non possunt curanda curare, sed nec curanda prospicere. Inde est quòd multi prepositorum facta gladio linguæ ferire cupientes, dicant sedem apostolicam non subditorum querere sanitatem, sed suam aut lateralium suorum querere commoditatem.*

II. Vulgatissimam per ea tempora fuisse querelam illam colligitur ex epistola Leodiensium adversus Paschalem secundum, à quo fuerant excommunicati. Scribentes ergo apologiam, reddentisque fidei suæ rationem, ita de Legatis scribunt: *Illos verò Legatos à latere Romani Episcopi exeuntes, & ad ditanda marsupia discurrentes, omnino refutamus, sicut temporibus Zozimi, Celestini, Bonifacii, Concilia Africana probaverunt.*

III. Apertius adversus illam corruptelam declamat sanctus Bernardus ad Eugenium III. scribens, satis innuens Legatos apostolicæ sedis ad ditanda tantum marsupia discurrere, neque ullo in loco diù consistere nisi quanto tempore opus est ad colligendas pecunias. *Vestri, inquit, qui terram austram sæpe visitant, ecce hi sciunt, & possunt dicere tibi. Eunt & redeunt per medium illorum, aut transeunt secus. Sed quid boni adhuc cum illis egerint, necdum audivimus. Et forsitan audissemus, nisi pro auro Hispania salus populi viluisset. Rectè autem adnotat illustrissimus Cardinalis Baronius sanctum Bernardum heic deplorare frequentes legationes, quæ sine fructu erant, & lucri tantummodo causa suscepræ.*

IV. Scio Innocentium III. nihil pro sua prudentia egisse unde colligi posset apertus bonæ disciplinæ contemptus, cunctaque quæ ab eo acta sunt ordinata fuisse, saltem in speciem, secundum regulas antiqui juris. Deinde magnitudo animi istius Pontificis non sinit ut quicquam fordium ab illo patrarì potuisse suspicemur. Quòd nisi notæ essent ingentes hominis virtutes, facile cuivis esset suspicari non ob aliud eum misisse in Angliam Joannem Ferentinum quam ut occasionem ei daret opum brevi compendio parandarum. Nam ille non aliter provinciam lustravit quam solent prædones & raptores, nihil omittens ut brevi ad maximas opes venire posset, dein citò abiit cum amplissima præda, parum aut nihil sollicitus de statu Ecclesiarum Britannicarum. Quippe Angliam tantum perlustravit, ut ait Matthæus Parisius, non visitavit, non correxit, non emendavit; sed, quod erat præcipuum in ea legatione, *magnam pecuniam summam con-*